QVAESTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,

DIE IOVIS XVI. MARTII.

M. GVILLELMO DE VAILLY DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An in morbis acutis sitis παραλόγως sedata malum? 801.

MORBIS omnibus inest suum tempus, alij enim longiori, alij breuiori temporis spatio terminantur: illi si vltra quadragesimum diem perdurent longi erunt, hi verò si ocyus finiantur breues, & si cum symptomatum vehementia sua tempora percurrant acuti dicentur, qui licèt ab humoribus calidioribus ortum habeant, quidam tamen à frigidis existunt vt apoplexia, quam fortem soluere impossibile, debilem verò difficile: & tetanus quem affusione frigidæ commodè curabis. Acuti diagnosticis signis prognosticisque sese produnt, vt causus, cuius signa pathognomonica ingens ardor & sitis inexplebilis, cui maximè frigidæ haustus agonisticus conducit, & viscerum inflammatio, cuius perpetuò comes est febris præter pathognomonica signa, & cui minimè refrigerantia & ἀποκρουστικὰ conueniunt.

ACVTORVM prognostica alia bona, alia mala. Illa victricis naturæ de morbo triumphantis, hæc verò morbi naturam vincentis: coctiones criseωn celeritatem, securitatémque portendunt, sputum in pleuritide citò ἐπιφαινόμενον breuiorem fore pollicetur, quia naturæ robur indicat. Naturam cùm dicimus tres facultates principes, naturalem, vitalem, animalem intelligimus, quarum summa conspiratio est ad salutem: licèt prognostica signa salutis certiora sint ex pulsu, quàm ex vrina: at verò morborum crisima αὐτίκα apparentia mala, & [illegible] quæ sine signis quiescunt. Sic erysipelas externum & angina quæ citò euanescunt, mala. Malum & sitis παραλόγως sedata in acutis, quia vim morbi ostendunt.

SITIS quæ magis angit quàm fames, & quæ minùs tolerabilis, appetitus est frigidi & humidi, vt fames calidi & sicci: illius solus capax ventriculus, non pulmones, ad quos potum per asperam arteriam deriuari credidere veteres: appetitus enim duplex est, naturalis & animalis: naturalis desiderium est illud quod singulis partibus inseuit natura, cuius stimulis percita trahunt sibi familiare alimentum, idque sine sensu: animalis est qui cum sensu existit, cuius sedem orificium superius ventriculi acerrimo sensu præditum sagacissima natura constituit, vt reliquarum partium suctum cibi potusque appetitus tandem sequeretur, isque eo vehementiùs ad potum fertur quo maior est vis caloris magisque exarescunt partes; vt in causo aliisque id genus acutis morbis. Hinc naturâ biliosi sitim non facilè ferunt, vt famem sitimque melancholici, quartana laborantes, & quibus os ventriculi frigidius & siccius existit.

NON minùs mala in morbis acutis sitis præter rationem sedata quàm in iisdem ἀποσιτία πάντων γευμάτων, quæ ab ichoribus biliosis os ventriculi imbuentibus, cui maximè conducit phlebotomia, pessima verò quæ naturalis appetendi facultatis necrosim ostendit: ita & sitis immeritò sedata mala, in qua nihil effatu dignum bibitur, vt in phreniticis βραχυπόταις: pessima verò in qua sitis omnino nulla, quæ facultatis necrosi fit in morbis acutis, in longis verò τῇ ἀναισθησίᾳ oris ventriculi, refrigerato eius quippe neruo, vel eodem obstructo, aut exoluta facultate appetendi.

NON est igitur fidendum iis quæ præter rationem leuant, vt nec metuenda mala quæ sine causa fiunt, horum enim plurima infirma instabiliaque sunt, illa verò suspecta speciéque recti decipiunt. Sitis in morbis acutis sedata est, sed παραλόγως, absreac immeritò, sitifera causa manente, vt ex vrinis rubris, & linguæ scabritie cernere est, quibus caret os humore loquentis, & fauces arent, visque est vocis in illis, tū vbi vacuitas omnium quæ sitim sedant pepasmi, sudoris, vomitus, diarrhœæ, hæmorrhagiæ, abscessus critici, phlebotomiæ, liberalis frigidæ potionis, apozematum, epithematum, purgationis, balnei, somni. Hinc qui noctu bibendi sunt appetentes, hos admodum sitientes somnum inire iuuat: quæ verò ab assumpto pharmaco sitis, bona; denique non ita se res habet in siti illa immeritò sedata, vt in appetentia canina, in qua appetitus est sine fame, & quam [illegible] solutio, vt in bulimo, in quo fames est sine appetitu, sitis námque naturalis adest sed sine appetitu, siquidem partes omnes humida substantia exhaustę & sitibundæ trahunt à partibus vicinis, perseuerátque tandem trahendi impetus donec ad ventriculum peruenerit, quem vndique lancinant diuellúntque, sed illius diuulsionis nulla fit sensio, hinc nulla sitis, vnde vniuersæ partes potu defraudatæ, sitique enectæ marcescunt tandem & exarescunt.

Ergo in morbis acutis sitis παραλόγως sedata malum.

Proponebat Lutetiæ PETRVS RICHER Parisinus. Anno R. S. H. M. D. C. XXXIV.

248.